

29

DISPUTATIO
ETHICA
DE
PUGNA APPETITUS
ET
RATIONIS RECTÆ,
QVAM
DEO TRINUNO ADIUVANTE,
CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACVLTATIS
PHILOSOPHICÆ
IN ILLUSTRI AD LANUM HASSO-GIESSENA
UNIVERSITATE
Sub PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
Dn. M. JOHANNIS VVEISSEN,
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ P. P. MERITISSIMI,
FUTURI ACTUS MAGISTERIALIS
PROMOTORIS RITE DESIGNATI, PATRONI,
FAUTORIS ATQVE PRÆCEPTORIS SUI,
Eâ, quâ par est, animi observantiâ submissè devenerandi
Pro honoribus & Privilegiis MAGISTERII
legitimè consequendis
Publico omnium candidè Philosophantium examini
submittit
PAULUS LINSIUS, Marpurgensis Hassus
A. & Resp.
Ad diem Augusti
In acroaterio Philosophorum, horis consuetis.

Philos.
C.

233, 6

GIESSE, Typ. JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typ. Ord.

ACADEMIAE GIESSENÆ p.t. RECTORI.
MAGNIFICENTISSIMO
ILLVSTRISSIMO & GENEROSISSIMO
COMITI AC DOMINO
DN LUDOVICO FRIDERICO,
COMITI DE WIED, DOMINO IN
RUNCKEL, YSENBURG &
MASSAU, &c.
COMITI AC DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

PRÆSTRENVO ET GENEROSO
DN. LUDOVICO BALTHASARI
à VVEITOLSHAUSEN dicto Schrautensbach/
EQVITI HASSIACO NOBILISSIMO,
MECOENATI MEO COLENDISSIMO.

Ut &

VIRIS Magnifico, Consultissimo, Pl. Reve-
rendo, Amplissimis & Excellentissimis

DN. GREGORIO TÜLSNERO, J. U. D.
eiusdemq; in alma hâc P.P. ordinario Celeberrimo, Comiti
Palatino Cæsareo gravissimo, CONSILIARIO HASSO-
DARMSTADINO.

DN. PHILIPPO LUDOVICO
HANNEKENIO, S.S. Theologiæ DOCTORI,
eiusdemq; ut & Oratoriæ P.P. clarissimo

Dn. Promotoribus, Fautoribus atq; Præceptoris
summè devenerandis

Disputationem hanc in humilis subjectionis indicium,
grati & observantis animi signum, offero

Respondens.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

3

B. C. D.


Qum præceps sit natura mortalium ad explendam animi libidinem, & idcirco sæpiissimè instar equi recalcitrantis recto rationis dictamini reluctetur, hinc operæ pretium me facturum esse confido, si in pugnam illam penitus paulò inquiram: *Quod dum facio, omnium mihi æquum judicium exoratum volo.*

THEISIS I.

Cum autem ante omnia vocabula ab æquivalentionibus sint liberanda, ne ambiguitate terminorum in progressu decipiar, idem facturus sum, initio quidem sumpto à vocabulo pugnæ. *Pugna* enim alia logica est, eaque vel incomplexa vel complexa; alia physica, alia moralis audit. *Logica* illa *incomplexa* inter terminos simplices est, qui non possunt de eodem singulari secundum idem, ad idem & eodem tempore simul prædicari. *Complexa* verò est pugna duarum enunciationum, in quibus idem de eadem re affirmatur & negatur. *Physicam* quod concernit, (de morali enim, quid sit, in seqq. tractabitur) quamvis anxiè, in

A 2

quo

quo ejus natura vertatur, disputent Philosophi, nos tamen lites illas jam nostras non facturi simpliciter eam describimus, quod consistat in qualitatum contrariarum mutuâ in se actione.

§. 2. *Appetitus* vocabulum quod attinet, illud etiam non unō accipitur modō: Appetitus enim est vel elicitus vel innatus: *Innatus* nihil aliud est, quām naturalis alicujus rei propensio, quam unaquæqué res habet in aliquod bonum, estque in potentiis activis naturalis agendi facultas, in passivis naturalis capacitas. *Elicitum* quod attinet, in eo distinguimus ipsam appetendi facultatem ab ipsâ appetitione. Ipsi appetendi facultas seu ipsa potentia appetens, quæ deinde vel animalis vel rationalis est; si generaliter de appetitu innato loquamur, etiam innata est, quia verò ita est innata illa potentia, ut etiam sit elicitiva actualis appetitionis, ideò appetitui purè innato contradistinguitur, utpote in quo non potest distingui actus primus à secundo. vid. *Svaretz.* disp. 1. Metaph. l. 6. §. 3. B. Dn. *Ebel.* tract. de separat. propr. c. 4. art. 2. p. 88. *Animalis* appetitus est vel concupiscibilis vel irascibilis. *Concupiscibilis* est, qui occupatur circa bonum sensibus gratum. *Irascibilis*, qui circa malum iisdem sensibus adversum, prout ex Celeberr. Dn. *Durrio* Phil. Moral. disp. 5. §. 8. *Eiusdemq; Institut. Ethic.* part. 3. l. 1. c. 6. §. 12. constat. *Rationalis* est ipsa voluntas, quæ potentia est per essentiam libera.

§. 3. *Rationis* vocabulum etiam est *çulàr πνλαχως λεγουέναν*. Sumitur enim 1. pro ipsâ animâ rationali, formâ hominis specificâ. 2. Pro ipsomet intellectu, alterâ sc. animæ rationalis facultate. 3. Pro *ratiocinatione*.

4. Pro

4. Pro ipsâ naturâ & essentiâ rei. 5. Pro principio cognoscendi. 6. Pro libertate ipsâ, potentia enim rationalis & libera Dd. Metaphysicis æquipollent. 7. Pro intellectu judicante. vid. Armand. de Bello visu tr. 2. c. 208.

§. 4. Nunc, ut, quænam acceptiones sint hujus loci, dicamus, pugnam intelligimus non *logicam*, sive incomplexam sive complexam intelligas; Neq; *physicam*; sed *moralē*, inter appetitum appetentem vel averfantem & intellectū judicantem. 2. Intelligimus appetitum non *innatum*, sed *elicitum*; cumq; non tām *rationale*, quām *animalem*; animalem non tantūm *concupiscibilem*, sed etiam *irascibilem* concretivè spectatum , prout sc. non præcisè est facultas, sed facultas appetens, adeoque in esse appetitūs formaliter constituta. 3. *Rationem* verò non sumimus pro ipsâ *animâ rationali*, neque præcisè pro intellectu , sed pro intellectu judicante , quō ipso in simul omnes reliquas acceptiones vocis rationis excludimus.

§. 5. Dixi autem 1. non tām *rationalem*, quām *animalem* hīc intelligi appetitum: Etsi enim non negamus, quòd voluntas sæpè rationis dictamini obedere recusat , quia tamen Scholastici ut & Novatores moderni concupiscentiam superioris facultatis adversus rationis judicium negligunt, hīc de pugnâ, quæ voluntati cum ratione intercedit, hīc non tām erimus solliciti, præsertim , cùm scopus noster unicè eò collimet , ut quasdam Novatorum & Scholasticorum controversias *zalā m̄da* hāc in parte sequamur.

§. 6. Dixi 2. hīc sumi rationem pro intellectu judicante : ubi adhuc notari velim , non sumi pro

facultate judicante , prout extendit se ad omnia cognoscibilia, sed prout restringitur ad τὰ πεποιητα; quanquam nolimus etiam hōc respectu judicium illud appellare practicum, cùm omnes actus intellectūs in se & suā naturā sint speculativi: Intellectus namque nihil efficit, quia actiones ejus sunt immanentes, quæ μηδέποτε dici non possunt, nisi ἡνὶ πίνσῃ cum Θεωρίᾳ confundere velis: Neq; intellectus moraliter (i.e. benè vel malè) agit , per hoc enim distinguuntur actus intellectūs & voluntatis, quòd actus intellectūs sint vel veri vel falsi, actus verò voluntatis sint vel boni vel mali.

§. 7. Quemadmodum verò, si quis homini barbaro immortalitatem animæ esset ostensurus, præsupponitur, quòd barbarus intelligat, animum aliquem in nobis esse, quidque tum isto, tum immortalitatis nomine denotetur: Ita antequam existentiam hujus pugnæ contra adversantes probemus, penitiūs, in quo ejus naturā consistat, dispiciendum est. Dico autem i. Non est pugna hæc appetitūs & rationis eadem, quæ pugna carnis & spiritūs: Pugna enim rationis & appetitūs etiam est in non-renatis, secus verò se res habet de luctâ carnis & Spiritus: In quibus enim nihil spiritus est, in illis pugna carnis & spiritūs locum non habet: In non-renatis nihil spiritus est, E. in non-renatis pugna carnis & spiritūs locū non habet. Minor patet ex descriptione spiritūs, quam ex disp. graduali de novo homine Dn. Iusti Söffings sub præsidio Dn. Joh. Musæi anno 51. Jenæ habitâ, cùm res hæcad Dn. Theologos spectet, adducemus. Ita autem c. i. num. 4. loquitur: Nonnunquam spiritus opponitur carni, atq; idem denotare videtur, quod novum hominem,

seu

Seu χάριτος illud à Spiritu S. in hominē regenito productum,
quod causa & principium est omnium bonorum operum tām
internorum, quām externorum. Et tale qui à Deo in corde
suo habet χάριτον, ejusq; virtute vitam instituit, is in scri-
pturā dicitur secundūm spiritum vivere, quod nihil est aliud,
quām internum sanctum q; spiritū impulsū sequi, carnem
mortificare, pravis concupiscentiis resistere, & ea, quae bona,
quae Deo grata, quae Christiano digna, amare, probare, cupere,
querere, facere. Quā de luctā plura lectu dignissima vi-
deantur in locis Theologicis B. Wilh. Lyseri c. 3. f. 3. n.
341. quibus judice B. Hulsemanno disp. de ministr. voca-
tione §. 68. ad sui perfectionem nihil, quām lux publica
deesse videtur.

§. 8. Dico II. pugna hæc appetitus & rationis est
dissensus appetitus & rationis circa voluptates & dolores,
unde aliquis dicitur continens vel incontinentis, tole-
rans vel intolerans, vel contra rectam rationem vel ei
conformiter agens, non tamen ex habitu. *Ubi conceptum
communem* nobis suppeditat dissensus, utpote qui latior,
& de pluribus in quid prædicari aptus est. *Proprins* verò
conceptus petitur à pugnantibus, objecto & consequen-
tibus.

§. 9. Pugnantes sunt *appetitus & ratio*, ut supra
fuit dictum! Etsi enim Erasmus in milite Christiano c.
4. p. 34. *animam & corpus* esse dicat, quae neq; dirimi que-
ant sine maximō cruciatu, neq; conjunctim vivere sine assi-
duo bello. Cui illud Lipsii consonum est, quando i. de
Constant. c. 5. sub personā Langii inquit: *Quod te non
fugit, duæ in homine partes sunt, anima & corpus:* *Illa no-
biliar, quæ spiritum ignemq; refert;* *hæc vilior, quæ terram.*

Iunctæ

Iuncta ista inter se, sed concordia quādam discordi: nec facile inter eas convenit, utiq̄, cūm de imperio agitur aut servitute. Regere enim utraq̄ vult, & magis illa, quae non debet. Terra attollere se supra ignem suum conatur, & cœnum hoc, supra cœlum: Hinc in homine dissidia, turbae, & veluti assidua quædam velitantur inter se partium pugna. Nihilominus non tām animæ & corpori, quām diversis unius animæ facultatibus pugnam hanc esse adscribendam apparet, si rem penitus cum aliis, quos vide, consideremus.

§. 10. Objectum quod concernit, quoad formale quidem, à quo sc. movemur, ut aversemur & appetamus aliquid, *voluptates & dolores* sunt. Voluptates hæ sunt bona jucunda. Dolores verò sunt mala quædam jucundis bonis opposita; & quamvis in se nec honesta nec turpia sint, actus tamen appetitus circa illa ab omni imperfectione absolvendi non sunt.

§. 11. Consequentia quod concernit, hæc sunt, ut sc. aliquis exinde audiat *continens* vel *incontinens*, *tolerans* vel *intolerans*, vel *contra rectā rationem* vel *conformiter ciagens*, non tamen *exhibitū*. Quā in re dissentimus à Knispelio quòd disp. de pugnâ rat. & appet. §. 28. omittat hoc, quod pugna illa fundamentum sit, unde aliquis dicitur tolerans vel intolerans, cūm enim non solum hæc pugna versetur circa voluptates, sed etiam circa dolores, ratio nulla dari potest, quare non à tolerantiâ vel intollerantiâ homo possit denominari.

§. 12. Nunc quæritur: *an talis pugna appetitus & rationis*, qualis in præcedentibus descripta est, reverà detinatur.

sur. Experientia sanè comprobat apertissimè, comprobat illud Medeæ apud Ovidium

— — — Video meliora, proboq;

Deteriora sequor,

ut dices, amentis esse, id, quod sole meridiano clarius est, negare. Nihilominus repertus fuit Bernhardinus Telesius, qui libr. 9. de naturâ rerum c. 28. pugnam rationis & appetitûs in totum negat, ut operæ pretium me factum esse confidam, si ea, quæ circa hoc negotium profert, accuratiùs lustravero.

§. 13. Ita autem discurrit cit. Author: *Quoniam veluti entium reliquorum omniū, sic & animæ facultates non aliunde, sed à propriâ ipsius emanant substantiâ, itaq; inhærent, penitusq; infixæ sunt, ut ne cogitatione quidem sejungi ab animâ possint, quæ igitur, si non una sint omnes, sibi ipsis certè maximè similes, cognataq; & perpetuò concordes, ut una omnes videriqueant.*

§. 14. Sed i. ambigua est hæc locutio, *potentias animæ ab animâ non posse ratione separari*: Vel enim intelligit separationem *positivam*, quæ fit cum positione contrarii: *Vel privativam*, quæ præcisiva alias audit, & per simplicem mentis operationem fit: *Vel negativam*, quæ per secundam mentis nostræ operationem fit. Si *positivam*, verum est, ita potentias animæ ab animâ non posse separari. Si *negativam*, neque sic alicujus erroris Author potest accusari, quia falsa est hæc enunciatio: Animæ non habet potentiam rationalem, sc. juxta cursum naturæ consuetum. Si verò *præcisivam*, seu *privativam*, ut vocant, intelligit, inconstantiam authoris ejusque absurditatem noto. Concedit ille, animæ faculta-

B

tes

tes ab ipsâ substantiâ animæ emanare, eiisque reverâ inhæ-
rere, & nihilominus negat, eas ratione posse sejungi ab
animâ, sc. præcisivâ separatione. Argumentor enim
ita: Q. non pertinet ad primum conceptum alicujus
rei, illud ab eo potest separari ratione: At potentiae illæ
non pertinent ad primum conceptum animæ E. Min.
prob. quia anima est substantia, potentiae verò illæ juxta
authorem sunt accidentia, accidentia autem ad primum
substantiæ conceptum non pertinent, cùm essentialiter
diversa sint. 2. Quæ realiter possunt separari, ea etiam
ratione possunt separari: possum enim ibi optimè unum
sine alio concipere, & si realis separatio non officit alte-
rius essentiæ, multò minus rationis separatio officit:
Nam si anima est anima, licet potentiis illis non sit in-
structa, sed eis supernaturali modo careat, cur non pote-
ro concipere animam absque potentiis. Atqui (subsu-
mo) potentiae animæ (positâ Authoris hypothesi) ab
animâ possunt separari realiter. E. Minor patet, quia
Authoris hypothesi suppositâ potentiae illæ sunt propria
animæ ab animâ realiter distincta; propria autem à sub-
iectis suis realiter distincta ab eodem ob negationem re-
pugnantiæ separari possunt.

§. 15. Mirabilis est ratio, potentiae illæ emanant ab
una substantiâ animæ. E. non possunt ferri in contraria:
Labascit enim consequentia ob defectum legitimæ pro-
bationis, sique Author simplicem impossibilitatem ex
ratione adducta colligere intendit, destruit libertatem
humanam, non unicè post sed & ante lapsum: Con-
fundit enim \neg non posse ferri in contraria, cum \neg posse
non ferri in contraria. Utut concedamus, \neg posse non
ferri

ferri in contraria, homini naturâ convenire; negamus
tamen, convenire ipsi naturâ, non posse ferri in contraria,
cùm hanc simplicem peccandi impossibilitatem (proh
dolor!) eventus ipse refutet. Et ne multa dicam, ob-
ruam Telesium absurdis: Qui naturâ non potest ferri
in contraria, vel, qui non potest agere contra rectam ra-
tionem naturâ, ille est essentiâ & naturâ Deus: solius c-
nim Dei naturæ repugnat , agere contra rectam ratio-
nem, vel ferri in contraria: Homo naturâ non potest
juxta Telesium ferri in contraria, seu agere contra re-
ctam rationem E. homo est essentiâ & naturâ Deus.
 2. *Qui naturâ non potest ferri in contraria , seu repu-*
gnare rectæ rationi, ille non est indifferens ad utrumque
oppositorum, ad bonum sc. & malum. Atqui homo
naturâ non potest ferri in contraria, seu repugnare rectæ
rationi. E. non est indifferens ad utrumque opposito-
rum, ad bonum sc. & malum. 3. Qui non est indiffe-
rens ad utrumque oppositorum, ille non est liber libe-
tate contrarietatis & contradictionis: Homo non est
indifferens ad utrumque oppositorum E. non est liber
libertate contrarietatis & contradictionis. En mon-
stra conclusionum! Non est, ut omnium monstrosita-
tem probem , doceat nos exemplum Adami absurdita-
tem ultimæ conclusionis, qui libertate utrâque præditus
fuit, quem in finem transcribere lubet verba B. Meisneri
p. 3. phil. sobr. s. i. q. 7. p. assert. i. p. 45. Homo ante la-
psum liber fuit à nececessitate & coactione, tám quoad actio-
nes malas, quām bonas, tam electionis quām executionis re-
spectu, tám quoad specificationem, quām exercitium. Ex-
pers necessitatis fuit ante lapsum, quia Deus reliquit eum in

*mannu consilii sui. Eccl. 15. v. 14. Liberè igitur & contin-
genter, non coacte, non necessariò bonum tum eligebat, tum
prosequebatur, malū etiam liberè eligebat & appetebat, quia
nondum ab interno principio inclinabatur ad malum, atq;
sic à servitute peccati liber fuit, non tamen à jure seu obliga-
tione, quia datum ipsi erat præceptum, ne peccaret. Si ergo
quæratur: An Adam ante lapsum habuerit liberam potesta-
tem eligendi vel bonum vel malum? respondemus, quod
quidem illam habuerit, attamen eandem exercere non de-
buerit. Hæc B. ille vir i. c.*

§. 16. Sed pergit Telesius: *Quoniam, inquiens,
non quocunq; jucundo proposito, amplexandum id sit, se-
cum ipsa pugnare & in diversa distrahi anima videtur, sed
ibi tantum, ubi vel unum quidem suave propositum est, bo-
num vē unum, & minimē purum, sincerumqué, sed quod
molestum malum vē quodpiam exceptum appareat, vel
suavia bonave multa, at quibus non omnibus simul, sed u-
no tantū potiri liceat, reliquis carendum sit omnibus.
Tamdiu igitur anima secum pugnare distrahiq; videtur,
dum præsens bonum futuro malo præhabendum, vel con-
trā, & quod è bonis omnibus præligendum sit, dijudicet, de-
cernatq;. Quò factō, nequaquam amplius discors apparel,
sed ad unum idemq; lubens universa fertur, & unum idemq;
sectatur, amplexaturq;.*

§. 17. Sed r. i. Non sequitur: Pugna illa non
datur de O. bono E. planè non datur. 2. Pugnā illam
appetitūs & rationis dicit, factō decreto, ampliūs non
apparere E. concludo antea adfuit: Quod enim desi-
nit esse, id ante fuerit, necesse est. 3. Falsum etiam
hoc est, quòd, decreto factō, nulla amplius appareat
discor-

discordia. Ante factum, ait Heiderus in phil. moral. part. I. p. 98. *recta ratio velut Pallas Homerica semper reclamat, & oblitatur conatibus illicitis; In facto sèpè nos quasi vellicat, & aliorum trahere conatur: Post factum acutissimos conscientiae dolores excitat.* Nunquam enim recta ratio, dicit Knispelius l.c. §. 23. consentit in vita, sed ferre cogitur, quæ mutare non potest. 4. Præsupponit, voluntatem pollere imperio herili in alias facultates inferiores, quod falsum est: *Postquam enim voluntas humana voluntati divina negavit obedientiam, etiam appetitus inferior superiori renunciavit famulitum,* prout scitè & venustè admodum loquitur in Anthropol. p. 226. l. I. c. 4. q. 3. Magnus quondam, jam verò p. m. VIR, Excell. Dn. Sperlingius. 5. Hoc adhuc addo, non demum circa plura objecta, sed circa unum idemque objectum, aliter ab appetitu, aliter ab intellectu apprehensum, pugnam illam oboriri, ita, ut idem objectum, quod intellectus aversandum esse statuit, appetitus concupiscat.

§. 18. Restat, ut de causâ hujus pugnæ aliquid dicatur, ubi tamen præcognoscendum est, num motus appetitus sensitivi sint capaces moralitatis nec ne? Et si capaces sint moralitatis, fitne pugna illa peccatum nec ne? Prius quod attinet, veteram forsitan telum aliquis in nos torqueat, eam esse motuum horum vim, ut actiones planè reddant invitas: Ipsum etiam ~~καλὸν~~ esse extra nos, & per consequens illos ipsos motus esse violentos, quia actio, cuius principium sit extra nos, violenta sit.

§. 19. Sed non est, ut hisce ab affirmativa nos patiamur abstrahi, quam firmioribus novimus esse stipatam rationibus. Argumentamur. 1. Hæc assertio, quod motus appetitus non sint capaces moralitatis, homines transformat in bestias, immo bestiis facit deteriores. E. absurdissima est. Consequentia est certissima. Antecedens eadem certitudine gaudet: Quid enim concupiscentia nostra aliás differret à bestiali concupiscentiā? Et annon reverà homo esset deterior brutis ratione destitutis, quandoquidem hæc non agunt adversus dictamen rationis, homini verò ineft dictamen rationis, cum quo appetitus decertat. vid. D. D. Calov. T. 4. q. 4. de statu integr. p. 548. 2. Argumentamur. Motus hi inordinati vitandi sunt. E. inter invita non possunt referri, quia quæ simpliciter invita sunt, à nobis vitari non possunt. Antecedens patet, quorsum enim aliás leges, quorsum poenæ, quorsum remedia illa moderandis affectibus præscripta? Frustranea sanè hæc omnia essent, nisi antecedenti sua constaret veritas. Si nunc motus illi inordinati non possunt referri inter invita, erunt capaces mortalitatis, omnis enim actio hominis est vel spontanea vel invita; vel capax moralitatis, vel non capax moralitatis.

§. 20. Evidetō ita priori, *posteriorius* facile poterit decidi, sc. rotundè fatemur, pugnam illam rationis & appetitus esse peccatum: Quodcunq; enim rectæ rationi adversatur, illud peccatum est: Motus inordinati appetitus sensitivi rectæ rationi adversantur. E. peccata sunt. Neque nodum hunc solvit responsio Gebh. Theod. Meieri, dicentis in analys. l. 7. Arist. Eth. ad Nicom. concl.

concl. XIII. *Pugna ista simpliciter non est peccatum, sed tum*
demum fit peccatum, quando ratio ab insultante appetitu
vincitur & succumbit. Quibus consona sunt verba *Slev-*
vogti disp. pr. 8. f. 2. assert. 3. p. 771. *Quum appetitus dici-*
tur inclinare ad peccatum, quia sibi & corpori bonum sensi-
bile ac jucundum appetit, quod est contra rationem, id non est
formaliter peccatum, quatenus consideratur in ordine ad cor-
pus hominis, sed est ipsi valde congruum ac conveniens; di-
citur tamen ferri in peccatum, quia in tale opus propendet ac
objectum tale, ut si accedat consensus rationis, committatur
peccatum ac culpa. Consentit *Vazquetz* disp. 90. T. I. in
 I. 2. c. 4. n. 10. §. *Verum observandum.* Notum enim
 est, nosque in superioribus diximus, in hominibus male
 agentibus & in opere adhuc occupatis tantum oriri tre-
 morem, tantam consternationem, ut qua ratione sibi
 consulere debeant, ancipites hæreant: **Unde** tantus ille tremor?
Unde quæso tanta illa consternatio, nisi à
 rationis rectæ dictamine eos vellicante & adhuc abstra-
 here conante? Sed estne id ipsum consentire? Vel, an
 illa actio contra dictamen rationis non erit peccatum?
 Minimè. 2. Consensus ille rationis est error intellectus,
 error vero simplex in intellectu non potest facere actio-
 nem peccaminosam, si talis ante non fuit: *Quod enim*
 non est principium actionis moralis, quæ talis, illud non
 potest actionem reddere moralem. Intellectus ille
 error non est principium actionis moralis, quatenus est
 moralis (ratio enim sive principium, cur actio sit mora-
 lis, est, quia illa à potentia liberâ liberè operante prove-
 nit, qualem potentiam liberam intellectum esse, ipsi
 dissentientes negant) E. non potest error ille intellectus
 reddere

reddere actionem moralem, & sic neq; peccaminosam,
 quia actio peccaminosa est moralis. 3. Calixtus, pro
 quo Meierus disputat, concupiscentiam (motus illos)
 describit, quæ frænari & corrigi debeat, & in sanctiore
 ordinem redigi, quæ per ferociam exorbitet, & suo im-
 petu feratur, quæ ad motus & impetus rationi adversos
 proclivis sit, & à melioribus ipsoque Deo Optimo Maxi-
 mo avertat, prout hinc inde *Calixtus* Exerc. de P. O. in-
 primis §. 22. 61. 62. scribit: Sed ex his talia fluunt argu-
 menta. 1. Q. non consistit in mediocritate rectâ ra-
 tione definitâ, sed illam mediocritatem excedit, ita ut
 debeat corrigi & frænari, id non est virtuosa actio , sed
 (cùm sit spontaneum seu voluntarium , adeoque
 moralitatis capax,) peccatum: At motus illi non con-
 sistunt in mediocritate rectâ ratione definitâ, sed illam
 mediocritatem excedunt, ita tamen, ut corrigi & fræna-
 ri (juxta Calixtum) debeat. E. sunt peccata. 2. Mo-
 tus illi inordinati, dum dicuntur nos avertere à Deo,
 vel causa esse, ut à D E O avertamur , vel sunt aver-
 sionis illius à Deo causa physica vel moralis. Non phy-
 sica: Nam motus illi per propriam entitatem non cau-
 sant aversionem voluntatis à Deo: E. moralis causa e-
 runt: Ipsiis igitur imputabitur & quidem judicio sapien-
 tum illa aversio , totumque illud , quod vituperio di-
 gnum continet, sicque ipsi motus vitiosi erunt , actio e-
 nim moraliter bona nullô modô est causa aversionis à
 DEO.

§. 21. Ad rationes contrarias §. 18. insinuatas
 ut respondeamus , opus fortasse erit. Quod autem
 primam attinet , dc affectuum impetu, non est, ut hinc
 aliquid

aliquid metuamus incommodi: Etiam si n. non negaverimus, affectus suā vehementiā mirificè mentem hominis turbare, non tamen omnem omnino libertatem illis denegamus. Patet in primis ex affectu vehementissimo sæpius, irâ sc., quæ quidem egregiè obfuscat libertatem, non tamen actionem reddit invitam, cùm adhuc à ratione regatur, prout artificiose satis judicio Celeberr. Dn. Rachelii exprimit Aristoteles 7. Eth. Nic. 6. *Videtur, ira illa quidem aliquā ex parte rationem, sed negligenter & confusè audire &c.* Quod 7. rationem attinet, καλὸν illud, quod nos provocet, extra nos esse, & sic actionem reddere violentam, fallax hīc rursus presupponit hypothesis, quasi omnis actio, cuius aliquid principium extra nos est, sit violenta. Cùm enim omnes nostræ actiones propter finem sint, atque sic omnium actionum humanarum dentur aliquæ causæ impulsivæ extra nos, neq; tamen omnes sunt violentæ, hypothesis sanè illa constare non potest, nisi ita restringatur, ut nos ad actionem illam nihil conferamus. 2. Rationem hanc in adversarios retorquemus cum Acutiss. Dn. Rachelio disp. i. de princip. action. human. §. 34. hōc modō. *Quod violentum est, ad nos ipsi nihil conferimus: Atqui ad ea, quæ pulchritudine & jucunditate rei impulsū facimus, nos ipsi multū conferimus, appetimus enim illa, ac membra etiam ad ea persequenda movemus. Quare non sunt violenta, nec invitò facta.*

§. 22. Præcognitis ita præcognoscendis, nunc in causam pugnæ inquirere proprius & accuratius licet: Utque uno q. intuitu scopus cernatur, quæritur: *An pugna hæc homini sit naturalis?* Quoniam verò naturale

C

variis

vāriis modis accipitur: vel *constitutivē*, quā ratione illud est naturale, quod rem constituit; vel *consecutivē*, quā ratione illud est naturale, quod est proprietas formæ; vel *subjectivē*, quo modō illud naturale dicitur, quod naturæ arctissimè inhæret; vel *perfectivē*, prout illud naturale est, quod naturam perficit; vel *transitivē* pro eo, quod cum naturā in alios propagatur vid. Excell. *Dn. Präsidis Met. recogn. part. gen. l. 2. c. 14. quonāg.* modō naturale hīc sumatur, dicendum est. Non autē arbitror, sumi pro naturali *subjectivē*, neq; existimo intelligi *transitivē*, vel *perfectivē* tale, sed naturale vel *constitutivē* vel *consecutivē*.

S. 23. Formato ita quæstionis statu, Scholastici *Vazquetz* sc. *Scotus, Bellarminus, &c.* quibus Novatores moderni *Calixtus, Dreierus* cum complicibus accedunt, naturalem hanc pugnā esse dicunt, ut etiam *Vatzquetz* T. I. in l. 2. disp. 90. c. 4. n. 9. dicta Rom. 7.v. 18. & 23. huc referat, & *Dreierus* satis blasphemē, aliter hominem creari non potuisse, asserat in der Gründl. Erörterung q. 1. de peccato originis p. 152. ubi ita loquitur. Der unterste Theil der Seelen/darin der Mensch mit den unvernünftigen Thieren überein kompt/begehrte nichts anders/als was den Sinnen lieblich und angenehm ist/das vermag sein Wesen/und kan nicht geändert werden/oder es müste nicht mehr der appetitus sensitivus die sinnliche Begierde seyn. Das oberste Theil der Seelen begehrte das/was der Vernunft und Erbarkeit gemäß ist/das stritet miteinander nach der natürlichen inclination und propension dieser Kräfste der Seelen. Sed falsa hæc sunt, & in Deum T. O. M. injuriosa, qui non posset ab ipso peccato absolvī, si homo ab initio creationis naturaliter in illud propenderet! Ita enim

enim argumentamur cū Dn. Slevogto disp. 8. pr. f. 2. ad l. 3.
 Si inclinatio aliqua naturalis esset in homine ad peccatum, Deo veluti authori acceptum esset referendum peccatum: Posterius non est. E. nec prius. Conseq. prob: Quicquid secundūm naturalem inclinationem est, quam Deus implantavit, illud non omnino est præter Dei voluntatem & efficaciam: Sed peccatum (juxta Dreierum) secundūm inclinationem naturalem est, quam Deus implantavit; E. Conclusionis absurditas arguit falsitatem alterius præmissæ: Non verò majoris, utpote quæ vera est, quia non egit contra suam voluntatem Deus in plantatione hominis. Minor ergò falsa erit, quæ Dreieri est & sequacium.

§. 24. Alia argumentata eeo, quæ Dn. Theologorum venerandus chorus urgere solet, sc. quod repugnet hæc assertio Calixti & Dreieri imagini Dei concretae, *αὐτοπλοία* Christi, statuique glorificationis; herculeum enim hoc, quod ex Dn. Slevogto adduximus, est, nullis machinis infringendum. Quamvis enim ad illud tandem confugiant, Deum non posse esse causam peccati per se, interim posse dici causam ejus per accidens, non tamen hōc ipsō argumento satisfaciunt, utpote quod evincit, Deum etiam sic statui causam per se peccati, quia peccatum, stante hypothesi eorum, non sit præter Dei voluntatem & efficaciam. Nec 2. etiam statuendum arbitramur, Deum esse causam peccati per accidens; cùm neque sic ab omni culpâ liberari possit, ut cordati hinc Theologi & Philosophi rectius sentientes meritò illis Novatoribus se opponant. Neque enim sufficiens est ratio anonymi cuiusdam im
 Christ:

Christlichen Bedenken pag. 45. Die Sach betrifft nur
einen terminum philosophicum E. Philosophandum e-
nimi est sobrie. Neque licet cuique terminos pro in-
bitu usurpare vel adhibere, sed prout ipsa rei natura &
conditio fert & patitur: cum autem Deo culpa damna-
tionis nullaratione, neque per se, neque per accidens, ne-
que directe, neque indirecte adscribi possit, prout pie &
solide ostendit B. Glassius part. 2. exeg. Evang. & Epist.
text. p. 251. ergo neque ullô modô ipsum peccatum,
quod est adequata aeternae damnationis causa. Dn. D.
Calov. Harm. Calixt. Arm. de pecc. §. II. pag. 918. seqq.
Angustia chartæ plura non capit. Concludimus ergo,
Deoque gratias agimus pro concessio clementer auxilio,
hoc saltem addentes, causam hujus pugnæ esse pecca-
tum originale.

COROLLARIA.

I.

Divisio entis in creatum & increatum
est immediata.

II.

Non datur elementorum vel alteratio,
vel transmutatio.

III.

Deus concurrit ad omnium creaturarum
actiones.

